

TABULA 495.

ERICA SPECIOSA.

OCTANDRIA MONOGYNIA.

CHAR: ESSENT: *Cal.* 4-phyllus. *Cor.* 4-fida. *Filamenta* receptaculo inserta. *Antherae* bifidae. *Caps.* 4-locularis. *Dissepimenta* e valvularum margine.

ERICA *speciosa*: foliis ternis, floribus terminalibus ternis, bracteis calyci proximis, stylo exserto, apice recurvo. *Art. Hort. Kew. Vol. II.* p. 369. *ed. Nov.*

ERICA *speciosa*: *ANDREW'S HEATS, Vol. II.*

*Crescit ad Caput bonae spei. Floret Junio ad Septembrem. ♂.*

*CAULIS* fruticosus, bipedalis, erectus, ramosus.

*FOLIA* ternia, linearia, obtusa, pubescentia.

*FLORES* 2-4-nati, sed plerumque ternati, cernui, ramulos laterales terminantes.

*PEDUNCULI* colorati.

*COROLLA* cylindrica, uncialis, curvata, viscosa, lucida, saturate et laete rubra, sed apicem versus viridis: laciniis superne patentibus. *Antherae* aristatae, inclusae.

*Ramus florens naturali magnitudine.*